

honoratus, faciet coniugium malum in pueritia sua cum meretrice, dolebit ex oculis, habebit membra tremula, damnūq; in substantia parentum. Si fuerit in dignitatibus suis, & fortis, remittetur malum.

Venus in occasu significat multitudinem nuptiarum, ac societatem cum mulieribus pulchris, & paucitatem contentionis, seu rixarum, dat senectutem foelicem, & lætitiā cum uxore, quæ erit bella, & nobilis, abundans in re familiari, habebit bonum exitum in rebus desideratis. Ducet uxorem postquam canus effectus fuerit, erit tamen potens in coitu.

Mercurius si fuerit in septima, natus delectabitur in computationibus, & numeris, & contemptores nati erunt astuti multum, significat etiam contentionem à mulieribus, & luxuriam. Natus erit bonus, & pius, sed habebit uxorem necromanticam. Et si cum Marte fuerit, uel cum Saturno, occidetur, & occidet uxorem suam, habebit potentes inimicos, patietur tractum chordæ, erit iudicio damnatus, morieturq; propter iudicium, uel propter iustitiam.

Luna in occidente, significat multitudinem contentionis, natus cupiet exire de loco suo natiuo, habebitq; bonum à mulieribus. Si ibi fuerit fortunata, dat honestam mulierem, inimici non poterunt nocere ei, senium eius erit honoratum, habebit uxorem bellam, & diuitem. Si uero fuerit infortunata, erit contrarium.

Caput in occiduo cardine, dat gratiam nato, & forte cum muliere bella, sua senectus erit honorata, & laudata, in fine gloriosa, habebit malum in oculis.

Cauda in septimo loco dat mortem uxoris, & inimicos publicos, significat uxorem uoletudinariam, atq; etiam uiro præmorituram. Si sit mulieris natiuitas, uir uxori præmoriatur, significat etiam detrimentum, & euacuationem inimicorum.

De octaua domo.



Aturnus in octaua, non in domicilio, uel exaltatione sua, significat malam mortem, mœrorem, & tristitiā causa mortis, & longam lamentationem, natus non habebit hæreditatem. Si fuerit in proprio domicilio, aut exaltatione sua, habebit hæreditates, & morietur bona morte ex longa infirmitate, uel morietur ex peste, uel de fluxu, & de infirmitate frigida, licca, & longa.

Iupiter destruit malam mortem, significat laudabilem finem, cadet natus in manus inimicorum, & de hoc habebit finem laudabilem, dat longam uitam, hoc est, annos 72. Erit honoratus, & laudatus, habebit aliquam hæreditatem, non morietur morte uiolenta.

Mars extra domum, uel exaltationem suam, significat mortem uelocem, aut epidimiam, uel interfectionem, aut abscissionem manuum, & pedum, dat paupertatem, & tandem uituperio adfectos, occidendos significat. Et si cum illo fuerit Caput, suspendetur. Si fuerit in domicilio suo, dat magnas diuitias, sed cum rixa, & lite extra domum suam.

Sol significat nato mortem, cum positus fuerit in dignitate, & quòd honorabitur in morte per reuerentem sepulturam, perditionem, mortem, & ablationem principum, significat mortem patris, dat hæreditates, sed dat magnum damnū in rebus familiaribus, quæ ab illo auferentur, per magnos uiros, morietur bona morte, excepto si Saturnus, aut Mars aspexerint Solem de maligno aspectu. Tum enim si fuerit in signo aqueo, facit mortem in aquis. Si in igneo, morietur per ignem, aut per ferrum. Et si in terreo, morietur ex aliqua ruina, quæ super ipsum cadet, uel quòd ille cadet de alto. Si fuerit in Scorpione, facit illum mori in peste, uel de rebus uenenosis, aut per